



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

Regulæ hujus exercitii

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

spiritualis sui profectus, confestim ubi oculos mentis suæ in hoc divinum exemplar coniecit, quoniam se modo in actionibus suis ipse gerere debeat, animadvertet: Etenim si eximia virtutis Religiosi, quem cognovimus aliàs, recordatio, aut alterius insigniter modesti præsentia statim ad nosmet nos revocat, atque ad officium nos nostrum redire compellit, si ab ipso fortè descivimus, quanto fortior atque efficacior esse debet repræsentatio Humanitatis ipsiusmet Filii Dei?

Regula huius exercitii.

Age, jam tradamus regulas, quas in hocce nobilissimo utilissimoque exercitio observare necesse est.

Supponendum primò est animam nostram tenerà quadam erga sanctissimam hanc Humanitatem devotione affectam, jam tum crassiores defectus exteriores studio ac praxi modestiæ reseculisse.

Secundò connitendum nobis est, ut interius animo efformaverimus pulchriorem ideam Salvatoris nostri, utpote hominis infinitè modesti, summè affabilis, atque in omnibus, quæ agebat, Majestate quadam proisùs divinâ conspicui, facie semper serenâ, oculis alliciente quadam pene illecebrosâ suavitate plenis, sermone blandò, corde commiseratione tenerri-
mâ affecto, atque ad omnibus hominibus conferenda beneficia comparati, humilis ac patientis in injuriis, opprobriis & calumniis, uno verbo attentis & circumspectis in omnibus verbis atque actionibus suis, usque ad minimum
intui-

*Quando
idea de
Christo
efforman-
da.*

intuitum, ut nihil in illo reperiri queat, quod cor nostrum nescio qua occultâ virtute non abripiat. Atque ubi inveneris aliquam illius pulchriorem imaginem, utilissimum erit illam attentius inspicere, ut inde concepta species aliquando in idea, quâ de agimus, efformandâ, auxilio esse possit. Hæc attamen representatio nullatenus sit oportet violenta aut coacta, sed suavis ac voluntaria, plus in affectione, quàm in imaginatione: omninò enim violentum capitis dolorem sibi consciscerent illi, qui hac in re uti vellent vehementia, uti faciunt nonnulli, qui sibi imaginantur, quasi Salvatorem nostrum coràm intuerentur cum plena faciei, lineamentorum, gressuum, aliarumque circumstantiarum distinctione. Non desunt, qui animo sibi fingunt illius contactum; alii in sacra illius vulnera ingressum; cuncta hæc exposita illusionibus, maximeque sunt à suavitate, puritate, atque animi simplicitate qua exercitio huic insistendum est, aliena. Tametsi etenim Humanitatem Dei Filii multis cum circumstantiis peculiaribus descriperimus, ut eximiam illius ideam suppeditemus, illam tamen animo fingere in momento debemus, & cogitationem nostram omnibus prædictis circumstantiis nudare, ut uni soli simplici ac nativo conceptu insistamus,

Tertiò, ubi hac in re primarium exercitium nostrum constituere voluerimus, contendemus continuò hanc representationem in corde ac præ oculis habere, illam luce

*Idea illa
suavis sit.
ac simplex*

*Methodus
istius ex-
ercitii.*

prima concipiendo, Deo cunctas actiones nostras in unione actionum filii sui offerendo, & connitendo illas eodem spiritu perficere, quod novimus suas ab ipso fuisse peractas; identidem contuitus aliquos affectivos in ipsum concipiendo, ac familiariter ipsi colloquendo.

Qui viâ hæc gradiuntur, frequenter legere debent sanctum Evangelium, ut verum Jesu Christi spiritum bene comprehendant, gustent, atque illi se conforment, agendo & patiando in cunctis ad eum modum, quo ipse egit ac passus fuit. Ita nimirum, ut ubi conversati, locuti, progressi fuerint, ubi cibos sumpserint, ubi laborârint, ubi fuerint in Ecclesia, in cella, in publico, in privato semper annitantur interiorius æquè atque exteriorius se conformare modo, quo Christus, in terris cum ageret, actiones istas perfecit.

Praxis istius exercitii.

UT exercitii hujus praxis Fratribus nostris eò reddatur facilior, aliquot illius hic exempla apponemus.

1. Surgendo ad matutinas animo suo repræsentabunt Salvatorem nostrum totas in montibus noctes in orationibus transigentem, uti adnotavit S. Evangelista Lucas, ubi ait: *Et*

Luc. 6. 12.

erat pernoctans in oratione Dei. Quod si aliquam insurgendo persenserint repugnantiam, ipsum considerabunt in horto ad versus ingentes repugnantias illas bibendi passionis calicis dimicantem, dicentque cum ipso: *Non quod ego volo, sed quod tu.* Atque iterum: *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut*

Marc. 14.

36.

Ioan. 29.

31.

man.